



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Locus à Definitione. Cap. XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

tar extrinseca, quanquam maiorem saepe vim habeant ad confirmandum: dicamus nos primum de ijs, quae à re ipsa sumuntur. A rebus ipsis sumuntur, quae à definitione, partium enumeratione, etymologia, hoc est, notatione verbi, ab ijs prae terè, quae rem quamque contingunt, & ad eam quodam modo sunt affecta: quorum alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex dissimilitudine, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus; alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum: & hi appellantur loci communes, sedes argumentorum, elementa propositionum. Sic autem describuntur loci communes; nota, quae rum admonitu, quid quaeque res valeat ad persuadendum, possit inueniri: quos locos quam plurimis exemplis illustrare non esset difficile sed non admodum utile, & ab instituto opere valde alienum: paucis exemplis, & illis facilimis contenti, quid singulorum natura sit, clericis declaramus.

Locus à Definitione.

Cap. XXVII.

DE FINITIO est, quae id, quod definitur, explicat quid sit: alio modo, brevis oratio, quae rei naturam declarat. de qua hoc à dialecticis praecipitur, ut primum rei proximum genus assumatur, deinde ad id differentia adiungatur, quae rem à ceteris formis eidem generi subiectis, distinguat & separet: quae subtilis definendi ratio, in dicendo non saepe usu venire solet, potius quae quid res sit, descriptione quadam explicatur, quae aliam
in rem

in rem non possit conuenire. Vtitur Ecclesiasticus orator sæpè definitionibus à sensibus hominum ductis; interdum autem alienis à vulgi opinionibus, & vulgari loquendi consuetudine, quæ quasi vi expressæ videntur, & animos hominum vel maximè ducunt & mouent, eaq; plerunquè ad refellendum, nonnunquam ad confirmandum adhibentur, & ad vincendum valent plurimum. A sensibus hominum ducta ea est definitio vitæ hominis, quam affert S. Iacobus Apostolus, cum dicit: Quæ est vita vestra? vapor ad modicum parēs, & deinceps exterminabitur. Ab eodem definitur lingua, vt sit ignis & vniuersitas iniquitatis. Vtitur B. Basilius in oratione contra auaritiã, argumento à definitione, quæ vim quasi afferat, & abhorreat ab opinione multitudinis: probat eum fraudatorem esse, qui, quod sibi superest, in pauperes non erogat: deinde in alia oratione ad diuites, in qua eorum excusationem ita proposuit, post, argumento à definitione sumpto, redarguit: At te ipsum pauperem esse dicis, et ego, inquit, assentior: pauper enim est, cui multa desunt. vt multarum autem rerum indigeas, insatiabilis habendi cupiditas efficit.

Locus à partium enumeratione.

Cap. XXVIII.

PROXIMA definitioni est partiū enumeratio, quæ non solum ad probandum aliquid, vel ad refellendum est utilis, sed etiam ad amplificandum atque exornandum; cuius rei nobilissimum exemplum est in Ecclesiaste Salomonis ad probandam verissimam illam propositionem: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eleganter